

Opuscula

DUX MAGNUS
Militantis Ecclesiæ,
In Ordine Minorum
EMINENTISSIMUS CARDINALIS,
D. BONAVENTURA
Seraphicus Ecclesiæ DOCTOR;
Sacris Honori suo Idibus
in Basilica Ordinis Minorum Conventualium
ab Oratorijs Exedris
PROMULGATUS.
CELSISSIMO DOMINO
D. ANTONIO
BENEDICTO CONSTANTINO
Sacri Romani Imperij PRINCIPI,
COMITI in Wiśnicz & Jarosław
LUBOMIRSKI,
PALATINIDÆ Cracoviensi,
Casimiriensi, &c. &c. CAPITANEO
AUTHORATUS.
Per P. Brunonem à S. Francisco Scholarum Piarum.
Die 14. Iulij Anno Domini exercituum 1727.

VARSAVIÆ Typis S. R. M. Scholarum Piarum.

IN
SRZENIAVAM
CELSISSIMUM.



I.

Vndiq; Laurigero cinctus *Srzeniava* vireto,
Hunc ad ſe *Magnum* provocat ultrò *Ducem*.
Sed quid aget Sacro conſiſtens littore Divus?
Vinciet in frontem plurima Serta Tuam.

II.

Conijce, quid de Te ſperet Reſpublica? cùm jam
Conveniunt Ipſi ſub Tua Signa *Duces*.



CELSISSIME PRINCEPS.

QVem *Boni publici Mini-*mûs *Regni Senator, di-*
Principem adorat Polonæ Juventutis, Jlli ſe DVX MAGNVS MILITANTIS ECCLESIÆ *ad manum offert.*

Et

Et nisi cum Ducibus res Tibi erit:
qui aliâ SANGVIS *Heroum*
CELSISSIME *non fluis volu-*
ptate; quàm, quæ à lituis, ab armis,
manat. Jta se generosa Tua Indo-
les, ad egregia facta comit, ceu Re-
gij Sponsa foret Honoris. Trabe-
atæ LVBOMIRSCIORVM Stirpis,
Flos pulcherrimus es, & Paternæ
Gemma Mitræ. Ornare poteris, vel
ipsas Imperiales Coronas.

Multorum gloria Sæculorum, quam
Proavi, Tritaviquè Tui vixerunt LV-
BOMIRSCII, ita se tenera Tua repli-
cat in ætate, sicut se replicat Sol inter
parælia. PARENTIS CELSISSI-
IS PALATI-
I.
iá: Laurigero cinctus Srze *& exemplata*
Imago es; cui congenitum præter splen-*
dorem, radios appingit ille zelus,
quo toties exarsit, toties fatales in-
ter Cineres, volutatus hostis.

Si

Si Æcumenicus Europæ Honor, Occidentalium Magnos Duces Regnorum, Purpureum citaret in Concilium: credo facilè, quòd illo Augusto in Exercitu, Primatem Heroum ageret CELSISSIMUS PARENS TUUS; *adeò Meritis! adeò fortitudine! adeò pietate! Excellens.*

Cresce CELSISSIME, *donec ad gloriam PARENTIS PALATINI pertingas; DOCTOR Seraphicus DIVVS BONAVENTVRA, Doctissimæ Indoli Tuæ, & ad omnia bona natæ, inspiret illos sensus: quos olim Publicus Legatus, Publicus Boni publici Minister, Magnus Regni Senator, disertissimè depromes; cum admiratione & emolumento Orbis Patrij, cum CELSISSIMÆ ornamento FAMILIÆ, cum ingenti*


Scho-

Scholarum Piarum *Solatio; quarum ut hodie Alumnum Numen es, ita crescis Protector: ex voto Nostrum omnium, & præcipuè*

CELSITUDINI
TUÆ

devinctissimi

Brunonis à Sancto Francisco
Scholarum Piarum.



ORATIO



A Primo Orbis Christiani Capite, ordior hodie laudum Tuarum principia DOCTOR DIVINISSIME. Sublimior Mens BONAVENTURÆ, Supremum hoc Caput sibi vendicat, ut non humiles sensus de Illo concipiat. Optimè accendo Ei honoris meridiem ab hodierno Sole, Terram Sanctam (*Ecclesiam intelligo*) illustrante. Non potest habere solidius gloriæ suæ fundamentum, quàm ex Vaticana Petra, ex Lapide Angulari Ecclesiæ. Ita est: Aurum Sapientiæ Ejus, tantùm in hoc Lydio probè valet æstimari. Sola Romana Cathedra, declamat unicè Doctorem Seraphicum. Eminentissimus Honor Illius, nonnisi ex elevatis Quirini Collibus bene apparet, ex æquo attingitur. Huic Fonti Scientiarum, ipse solùm Tyberis in immensum laudis exundat Oceanum. Convenit, ut Virorum Ada-

Sūmus Pontifex Benedictus XIII. Caput Ecclesiæ, & Elogij D. Bonaventuræ.

mas, Doctorum Gemma, Piscatoris inserta Annulo, toti mundo inclarescat. Ter laureatum Caput, triumphet in Triregno. Referent Petri Claves Arcanum omnis scientiæ, Regiam probitatis, heroicæ Virtutis Propugnaculum. Ingeniorum Aqvila, in Diviniori Iove evolet famâ immortali. Devehat Navis Apostolica largas ingenij sui opes, pro appretiatione fidei non parcè erogatas, ad publicæ æstimationis portum. Meretur laudẽ probus Filius in Patre Sanctissimo, Cardinalis in Pontifice. Ades itaq; Pontificum Maxime BENEDICTE XIII. optimum Argumentum bonæ dictionis futuræ de *Bonaventura*. Ades cum mille titulis in singulare encomium Doctori Seraphico victimandis. *Vincentius MARIA* olim dictus, palmarem titulum, triumphale Nomen porrigit. Sidus Dominicanæ Familiæ, Solem Eruditorum declarat, prænuntiante vel ipsa Aurorâ in fronte *Gusmani* exorta. Ipsa Gentilitia *VRSINORUM* Arma, mutuo conspirant fædere in triumphum *Bonaventuræ*, trophæa erigunt, palmas, adoreas cædunt. Evolvit Purpuram Regina florum Patritia *Rosa*, quâ Principem adornet in Regno literarum. Nunquam vocaliùs in orbe audies *Bonaventura*, quàm sub hac *Rosa* prolatus. Nam loqui non tacere, imo adhuc dicere bene de Tuo Nomine jubet *Rosa BENEDICTI.* Florem pro-

Antea sic dictus.

Religiosus S. Dominici.

Ex Familia *Vrsinorum*.

Stẽma: *Rosa & tres Fluvij*.

proinde Ingeniorum Te loqvitur. Stemmatica etiam *Flumina* confluunt amplâ titulorũ copiâ. Jam vaſtiſſimæ eruditionis Oceanum, jã omnigenæ Virtutis Archi-Mare, grato omnium auribus murmure inſuſurrãt. Ex Charactere Sũmi Pontificis, non humili ſtylo exaratum legere poteſt elogium. Vicaria Dei in terris Poteſtas, ut ſupra homines attollit, ita Numen quoddam Sapientiæ revelat toto orbe adorandum. Rex Sacrorum, inter eruditos Principes Primatẽ ponit. Si Sanctiſſimus Papa *BENEDICTUS* Os Divinum eſt? ergo *Bonaventuram* aſſerit Cancellarium Regis Regum, Mentis Divinæ Interpretem, Patronum Cauſæ Primæ in omni foro, Oratorem pro Domo ſua. Si Manus Domini eſt? indigitat Dextrum Fidei Brachium. Si Atlas Cæli Myſtici eſt? Alcidam vult eſſe Ejuſdem Portitorem. *Urſiniána* quoq; in adverſis Fortitudo, Columnam Religionis Orthodoxæ, Sedis Apoſtolicæ Fulcrum affirmat. Demum: Sanctitas, Amicum Dei; Eruditio, Doctorem Magnum; omnis Probitas Pontificia, Dearum Virtutum Pantheon manifeſtat. Jamnè nihil ultra reſtat in Pontificia Dignitate ad ampliandos *Bonaventuræ* honores? jamnè exhauſtus Tyberis nullam dabit copiam deficienti Svadæ in ſua fluiditate? jamnè in Sacro Vaticani Principis Diademate nullæ inveniuntur gemmæ, ut appretient dignas omni æſtimati-

one Illius dotes? minimè. Habet adhuc vicina Cœlo Poteſtas, quò poſſit elevare altiùs Maximum *Ordinis Minorum* Doctorem. Habent *Vrſini Fluvij* novos inſuper fontes, à quibus derivet Orator larga Verborum flumina, in rem *Bonaventuræ*. Militabit Honori ejus & palinaris ille *BENEDICTI* Panegyricus, prophetico declamatus ore: *Miles in Bello*, præliorum, nempe Domini Exercituum, Rex, Imperator. Ages proinde ſub Maximo hoc Bellorum Dei Imperatore, *DUCEM MAGNVM MILITANTIS ECCLESIÆ in ORDINE MINORVM*. Ampliabis tenuitatem virium exigui Oratoris *Magne Auditor*, ad extendendam *Bonaventuræ Magnitudinem*, quando bene armato ad benevolam attentionem animo, Honori *Magni Ducis* in hoc campo militabis.

Prophetia de moderno Pōtifice: *Miles in bello.*

Ut inglorium eſt, Magnatem agere, & Magno carere Nomine, ita in humili ſtatu jacentem ad ſumma eluctari, judico palmare eſſe. *Auditores Humaniſſimi*. Habent id enim ex natura ſua Honorarii ſoles, quibus ſuā diſpenſant lucem, illis etiam titulos accendunt Illuſtriſſimos, Sereniſſimos. Scipiones, Clavæ, Sceptra, indices ſunt magni vocabuli ſuorum Portitorum. Faſces dignitarij, Virgæ directionis dant ſtimulos ad altiora, excitant ad ſublimia. Ideo Summates aurea ſumunt mala, ut guſtum boni Nominis capiant. Quid deno-

tant

tant Coronarum Orbes Regum Capita ambientes? nisi Magnitudinem eorum, toto Orbe vix posse comprehendi. Potentissimos, Augustos Honor facit, non angustos. In tanta ergo titulorum Eminentia, abjectum; in ampla luminum majestate, obscurum vivere; non præclarum est. Famosas licet Avorum Imagines, pulchras tamen; (pingente venustatem merito) turpè est, fœdâ Nepotum effigie deformari. Non ideo Patritium quisq; haurit sanguinem, ut erubescat; sed ut Purpuras exornet. Malè rectas Majorum ducit Lineas, qui eas trahit in obliquæ mensuram gloriæ. Quantum dedecus! inter Avitas Ceras illustrem non fieri, sed umbram agere; inter Nobilissimæ Domûs Atria, versari ignobilem; Optimæ Directionis Virgâ, malè vapulare. Ingens probrum! ibi decrescere, ubi summa auges; in elevatione deprimi; nudum apparere in Toga; in Maximis non esse Magnum. E converso: quæ gloria! nihilum, valere ad omnia; in vilipendio, æstimationem mereri; in minimis videre magna. Enim: projectis in terram, faciliùs est ima petere, quàm alta meditari. Parcendum! si vivunt inglorij; nemo audet supra vires. Quæ suæ activitatis excedunt sphæram, null' tenetur ea attentare. Et tamen, toties non sine admiratione spectator advertit Orbis, quòd scabrosæ ejusmodi conchæ, pulchram sibi pariant non unius gloriæ gemmam. Vidit

dit

dit ad invidiam pumiliones iſtos, famam Gygantum ſuperare. Vidit, fieri ex abjecto ſtipite Vocales Magni Nominis Mercurios, proceram autem Conſangvinitatis Arborem, ſæpe nullum utilitati ſuæ producere fructum, cum damno non ſemel ſterileſcere. Quis quis itaq; in umbra poſitus, illuſtrior apparet, licet nõ in campo gloriæ, lucratur tamen triumphale Nomen, magis in ſublimiorem æſtimationis publicæ aſcendit gradum, quàm ſi ex alto ſummus evaderet. Majus & honori Tuo *Doctor Diviniſſime* addit pretium *Minorum Ordo*, quem geſtorum Tuorum Magnitudine Maximum effeciſti. In illo namq; loco Magnũ Tibi erexiſti Nomen, in quo ſola demiſſio, minima ſui æſtimatio regnat. Ubi fuga honorum, gloriæ, ibi inveniſti famam optimam, dignitatem ſummam. Non obſuerunt Jlli Religioſæ Umbræ, quin Jlluſtriſſimus mundo appareret. Ad divitem gloriam acquirendam, ſtricta paupertas non impedivit. Solitaria vita non præcluſit viam, ne publicos teneret faſces. Hinc ſolenniori celebrandus titulo, dum ex milite, in *Ordine Minorum* evaſit *Dux Magnus Eccleſiæ Militantis*. Ad hoc culmen quibus gradibus pervenit, vitæ indicabit argumentum. Modo deſcendamus in campum *Ducis Noſtri* natalem.

Patria *Bonaventuræ* fuit *Balneoregium*. Nidus illorũ ſcilicet Heroum, quibus pro ſuorum

Re-

Regum Nomine labores bellicos ſubire, ad ſalutem Reipublicæ ſudare, innatum erat. Regales *Balneoregij* aquæ effuſum luci publicæ Infantem excipiunt ; ut videant omnes in hoc undarum ſpeculo, raram *Bonaventuræ* indolem, nihil communi fonti debere. In Thermis naſcitur, ut à primo vitæ momento aſſveſcat ſudori, non ſemel olim eliciendo inter labores officium *Magni Ducis* concernentes. In tali loco Cunas ponere natura ejus exigebat, quò à teneris ſtatim imbiberet calorem ſpiritûs heroici, vitalem ſui muneris. Prout cæpit jam hoc ardore ita incaleſcere, ut ipſum calidæ febris ignem, in ſinum reciperet. Crederem ego, per natales Thermas debilem adhuc tenellæ ætatis conſtitutionem infirmari, niſi ſuccenſæ Orci flammâ arderent in Ejus cineres. Præſenſit capitalis generis humani hoſtis, Virum olim BONAVENTURAM nullatenus ſuis cedendum Viribus , idcirco puerum aggreditur, quò faciliùs vincat. Sed ſanctior hic Hercules, etiam in cunis ſtygium ſerpentem enecabit, lethale virus non ſumet. Vide Orbis! & attonitam palpebram huic ſpectaculo tantiſper detine. En *Magnus Dux* Noſter ! vix in arena mortalium ſtetit, illico pedem movet in hoſtem , cum fatorum exercitu primam luctam habiturus. Adhuc Puſio neſcit greſſum ſiſtere, & ad reſiſtendum jam provocatur; necdum domeſticam terræ plani-

tiem bene palpat manibus, & jam in aſpero Martis Campo, urgetur dexterrimè congredi. Inſtauratur acies, trina adverſæ partis legio expeditur in unicum BONAVENTVRAM. Ex una parte: videre licet fortiter armatas Fatorum copias, mille nocendi artibus, & bellico apparatu inſtructiſſimas; ex altera vero: Infantem ſine viribus, ſine armis, ſine modo, ſine ſpe vincendi conſtitutum. Incipit conflictus, pars robuſtior prævalet debiliori, belli alea cadit felici ſorte hoſtibus BONAVENTVRÆ; huic autem fatali jactu, ubi in primo ſtatim certamine, accipit grave vulnus in pectore. Triumphant ergo Fatorum Caſtra; inchoatam victoriam multis plauſibus, jubilis, feſtivis acclamationibus continuò celebrant. Ex adverſo: *Fidantius* & *Ritelia* Parens, ejuſmodi tripudiorum Solennitati, luctum, lachrymas, mærorem ſacrificant. Lætis tubarum clangoribus, triſti reſpondent fletu, gemitibus, ſingultu. Concidunt animis, ruente Domûs ſuæ Columnâ. Planè emoritur Parentum vita, in agone Filij. Sed exhilarate aliquantùm afflictam frontem, mæſti Genitores. Nati veſtri infirma ſalus, ex parte, non ex toto deſperata. Sit licet æger, langvidus; adhuc poterit tales vires aſsumere, quibus frangat hoſtile robur, inimicam potentiam enervet. Non ideo jam victas hoſti manus porriget, quia vinctas faſcijs habet. Si prima Acies ſiniſtrũ

de-

dedit eventum Ejus dexteritati? altera, ſecundum offeret. Sæpiùs infelix belli initium, fauſto termino coronatur. Frequenter in Cupreſſo deſinit, qui cæpit Lauros metere. Graviter quidem læſus, ſed ſpes ſalutis necdum præciſa; curari poteſt. Moras ego videor in ſvadendo nectere; en jam alatus Parentum amor, in extremis laboranti Filio, velociùs ſuccurrit. Mittit Legationem votorum ad Dominum Exercituum, ad Militiam Cæleſtem; ut juvent ſuis armis, viribus, utroq; ſpoliatum ſubſidio, dilectum ſibi Pignus. Et ſuccedit ad mentem feliciter, redit ad vota Legatio. Veniunt Virtutes Supernæ cum Poteſtatibus, & infirmatum debili corpuſculo robur, vires, potentiam, reſtituunt. Adſunt cum Auxiliaribus Copijs Divini Heròés: reſtaura aciem, collige vires, reſume animum, adverſam partem involа, pugna iterum *Bonaventura*. De certa victoria non eſto dubius; habes modò illud robur, aggrederis hoſtem tali potentiâ, quæ ſemper vincit, nunquam victa. Sic armatus, vix contra adverſas inſurgere parat Copias, illico Fata fugiunt ex acie, palmam vitæ & victoriæ in manu *Bonaventuræ* relinquendo. Date plauſus! excitate flammas triumphales! erigite trophæa! primæ *Ducis Magni* victoriæ. Colligite ſimul *Auditores*, ſi puer in cunis triumphat; quid faciet? poſtquam Vir erit. Ampliùs

 nul-

nullum jam timebit hoſtem, ubi Infans fata ſuperavit. Peracto certamine, reſpirat tantiſper *Dux Magnus* ſub pacis Olea. Habeat ſuam quietem, poſt tantum laborem. Ut fatigatas præſenti opere vires, corroboret ad ulteriora bella infractè perficienda, eget otio; vacare debet aliquantùm.

Abſolutis Vocationibus domeſticis, in arenam deſcendit literariam. Etiam hic Campus, *Magnum Ducem* ſalutavit BONAVENTURAM. Singuli Compalæſtritæ, ſingulares erant æmuli; certabant cum Illo Univerſi, nemo vincebat; omnes enim capacitate, ſtudio, elevatione ingenij ſuperabat; utpote Dux illorum. In qualibet expeditione ſcholaſtica, palmares ſucceſsus obviam habuit; Pallas, Apollo, Mercurius, eruditæ fronti ſuas laureas offerebant. Ex acie Minervæ, mundus ſub ſua evocat ſigna BONAVENTURAM. Ut fortiùs in ſuam partem pertrahat, offert Purpuras, Sceptra, Coronã, divitias. Talibus armis illum oppugnat, quibus etiam robuſtiſſimi Heròés expugnantur, ſuccumbunt facilè. Sed Ille *Magnum Ducem* futurum ſe eſſe ſciens *Militantis Eccleſiæ*, ingloriùm judicavit mundo militare. Nec potuit Miles Chriſti, adversùs mundum continuò decertans, ſequi hoſtem ſui Imperatoris. Cui, Domus Dei inhabitanda erat, ad humana divertere Palatia recuſat. Deſtinatus ad Sacros Faſces, à profanis Curulibus

vult

vult esse alienus. Nec testudinis pede præliares Mundi Aquilas secutus, signo Domini Exercituum adscribi petit, sub Alas Seraphicæ Militiæ convolat. Lectissima FRANCISCI Legio, inter Divinos Tuos Heròés, admitte etiam Virum Dei BONAVENTURAM. Crede mihi *Minorum Ordo*, maximà Tibi inde assurget gloria, dum brevi ex Tuis Castris Ille prodibit *Dux Magnus Ecclesiæ Militantis*. Nec mora: Seraphica Religio, intenta semper in publicum fidei Orthodoxæ bonum, magnum hunc Ministrum Ecclesiæ, in gremio suo suscipit educandum. Nemo dubitet; an ferventi animo sit bellaturus pro Deo? en, ut ejusmodi ardorem concipiat, Seraphicis Ignibus pectus suum admovet, Cor applicat. Bene agis BONAVENTURA! ubi per Militares gradus, ad Magni Officium Ducis Te disponis, à Tyrocinio priùs incipiendo. Si tamen Tyro vocari debet, qui veteranos etiam Commilitones suos, probitate, modestia, Sanctis moribus, vincebat, superabat. Spectare licet, quomodo se exercet ad Clavam Ducalem in militia Religiosa. Pietas, Eruditio, fortis animus, in continua apud Illum praxi; præcipuæ scilicet Virtutes Ducum, & ornamenta. Talem sanctitatem coluit, quam nullum peccatum profanavit. Jmò candorem Jnnocentiæ Ejus, nec labes primorum Parentum contaminare visa; probante id *Ale-*

xandri Professoris sui Oraculo: *Hic est verus Israëlita, in quo non videtur Adam peccâsse.* Jacto pietatis fundamento, structuram erigit scientiarum. Ut decurrat fortunato passu gloriæ Olympia, Circulos adhibet Philosophicos. Quò faciliùs capiat modum feriendi hostes, assvescit argumentari in *Ferio.* Ex Porphyriana arbore, Lauros, frondes triumphales discit legere. A Spinis Logicis, ad fortia quæq stimulum accipit. Magistrum sortitus *Doctorem Irrefragabilem*, inconcussa sapientiæ dogmata, frangi nesciam mentem inquirit. Arcana Theologiæ ita scrutatur, ut in omni acie latentem hostem, insidias perspectas habeat inimici. Quamlibet Divinæ Scientiæ quæstionem sic penetrat, velut Regulam, Leges, statuta sui Muneris. Jn Sectione cujuslibet Tractatûs, acuebat ingenium contra sectas, scissiones; ut illas ad unionem componeret. Certamen quodvis, habuit palmare. Tandem & in Theologica arena, stetit *Dux Magnus*; non sine laurea Doctorali.

Gratularer Tibi ejusmodi triumphum Ingenij, *Doctor Divinissime*; nisi bella intonans *Giraldus* hostis, vocem, & vota præriperet. Expectat Te in sua acie, descende. Jam in totum Corpus militiæ Tuæ Religiosæ, impiam manum elevat ad opprimendum; hostilibus armis ferit, vulnerat, proscindit. Quot quot virium, fortitudinis, heroici Spiritûs habere

potes,

potes, armatus omni robore in hunc Campum progredere. Sed inglorium reputat BONAVENTURA, contra unum hostem omnes vires exerere. Vnico telo singula illius arma, Machinas, frangit, confundit. Humilis *Apologiâ Paupertatis*, superbam mentem deprimit, elevatum ingenium conculcat. Exultas *Ordo Seraphice* obtentâ de Capitalissimo hoste tuo victoriâ, partam agnosce *Duce Bonaventurâ.* Doctorali suo Calamo, hunc proscripsit Adversarium. Ab Ejus acumine, lethale vulnus accepit. Sole hoc Jngeniorum, dies Tibi illuxit triumphalis; dies albo notanda calculo, ab Ipsius Candore Innocentiæ. Occurrit Reduci ex hoc certamine cum triumpho, Universum *Francisci* Agmen, & inter plausus, fascibus supremi Regiminis emeritum coronat Verticem. Salutate modò *Auditores* Generalem *Bonaventurã*, brevi *Ducem Magnum Militantis Ecclesiæ* adorabitis. Gradus iste, ad culmen Ducalis Officij, primũ semper ascensum porrigit. Spectate, qvomodo Generale regimen singulari administrat prudentiâ. Mandata Seraphici sui Ducis strictè observat, exeqvitur heroicè. Nec tantùm antiqvas leges in primo vigore conservat, novas insuper condit; sed Genio, Zelo, Heroicitati Fundatoris conformes. Loqvor id ex mente Supremi Capitis membrorum Ecclesiæ SIXTI IV. ita de Illo sentientis. Moderan-

te BONAVENTURA totum Ordinem, aderat bona disciplina, bonus animus, bona conscientia, exercitata virtus, in Viris Divino Honori militantibus. Miles quilibet erat Sanctus, patiens, invictus, Ducis exemplo. Vitam enim inspirant Heroibus, Ducum Animæ. Robur etiam suæ militiæ auxit, limites dilatavit, multas Provincias suo Ordini subegit. Vidit heroam mentem in Generali BONAVENTURA *Militans Ecclesia*, proinde Illum ad sui defensionem invitat. Ad Pallium Eborense Archi-Præsuleum evocat in Britaniam; sed fortior licet Humerus, huic Oneri portando debilem se agnoscit; ut robustiorem premat Lacertum, fortiter evincit. O magnam BONAVENTURÆ Indolem! si modestia, humilitas, canit victoriam; qvos referent triumphos reliquæ Virtutes, aliæ Principes, Reginæ aliæ.

Jam ergo post data toties heroicæ virtutis specimina, post collectas ex tot arenis laureas *Dux Magnus Militantis Ecclesiæ* proclamatur. Severioribus enim fatis sublato è vivis CLEMENTE IV. Sũmo Põtifice, ubi Corpus Reipublicæ Christianæ, sine Capite; Navis Ecclesiæ, sine Typhi; Imperium Orthodoxæ fidei, sine suo Rege, Cæsare, diu persistit; Electoralis Campus *Ducem* salutat BONAVENTURAM. Tribus annis in hac acie Electores Viri æmulo pugnabant voto, adversis decertabant rationibus; certaminis tamen nullus fi-

nis

nis erat. Una ſors cadebat in Vnum, alter favebat alteri, alius elevabat alium, nullum promovebant Omnes; ſed quiſq; pro ſuo ſtabat fortiter, immotè. Unicus Ille, ſupras omnes tantam accipit poteſtatem, ut proprio Ipſius ore nominetur Papa, cui Doctor hic Romanã aperiret Cathedram, Is illam conſcenderet. Plura dicam: BONAVENTURÆ Authoritas amplius adhuc ſuos extendebat limites. Vt alijs Candidatis, ita ſibi etiam albo potuit favere calculo. Vix autem *Magnus Dux* Iſte, in deſtinatam ſibi venit aciem, ſtatim bella animorũ compoſuit, diviſos affectus univit, vota per plures diſperſa, congregavit in unum. Aperuit mentem de eligendo *Vice-Comite Placentino?* & concluſum eſt. Nemini diſpicuit *Placentinus*, ubi uni BONAVENTURÆ placuit. Confirmant omnes Electionem ab Illo ſolo factam, Vota Ejus terno Diademate coronant in Capite NeoElecti, poſthac GREGORIJ X. Nomine inſigniti. Quale eſt Veſtrum judicium *Auditores* de præſenti activitate Illius? ſopita hæc ab Eo prælia diſſentientium inter ſe Patrum, ſedati motus, ad mutuam ſocietatem inclinatæ Partes ſibi adverſæ, pugnæ, ſciſſiones, jurgia Fratrum pacata, nonne *Magnum* declarant *Ducem* verè *Militantis* eâ tempeſtate *Eccleſiæ*. Ille ſolus effecit tranquillitatem in turbido, unionem in Schiſmate, in Odijs amorem, pacem in bello, Naviculæ Petri por-

 tum

tum in naufragio. Dein: si consurrexit Gens aliqua inimica contra Religionem Romanam? Ille primus Scutum, Clypeus, Defensor fuit. Omnes hostiles impetus, acutissimi Ingenij stylo gloriosè repressit semper. Quicunq; fidei Adversarius movit Arma, visus est illa vibrare in suum pectus, in sui necem; ubi cum *Duce* hoc est congressus. Quoties BONAVENTURÆ manus armata calamo, pro Vaticano pugnabat Principe, toties Dextera hæc Domini, palmas triumphales tenebat. En adhuc Cardinalitia Dignitas, fortiori sustinet argumento, *Ducem Magnum Bonaventuram* esse. Agnoscitis Summum Pontificem pro Imperatore Militantis Ecclesiæ? explicate etiam mentem Vestram, quid de Cardinalibus sentiatis. Ni fallor! *Magnos Duces* judicabitis. Ita est: *Duces* sunt expositi ad propugnandam fidem, ad propulsandos hostes Ecclesiæ. Irrumpit, quispiam sinister eventus? Jlli primi occurrere debent cum succursu, in Casibus immoto pede resistere, suppetias ferre in necessitate, salvare in agone. Cardinalem agit BONAVENTURA? ergo simul & *Ducem*. Et ab Episcopatu *Albano*, audit (unus è sex) Papæ *Suffraganeus*, id est *Dux* Regis Sanctissimi. Pari honore, eodem titulo, Concilium quoq; Lugdunense Illum celebrat. *Ducem* se inibi *Magnum* exhibuit *Ecclesiæ Militantis*, quam simul reddidit *Triumphantem*, de convicta Græcorum

perti-

pertinacia. Capitales isti erant hostes, vel ideo; quòd Romanum Episcopum pro Capite Supremo non agnoscerent. Beatissimum Patrem, filiali nolebant amore prosequi; Sanctissimo Domino, omnem subjectionem excutiebant; imò potiùs Servo Servorum Dei prætendebant semper imperare, dominari. Verùm BONAVENTVRÆ dexteritas, sinistram hanc fregit potentiam, rebelles compescuit, fastuosas cervices pedibus inclinavit Pontificijs, avulsa à suo Capite mēbra, reunivit. Quem nuper habebant contemptui, illo die coacti sunt reverentiali cultu adorare. Oppressit rationum pondere pertinaciam, in malo subsistentem fundamento. Sapientiæ illius prodigio, amentia desijt insanire. Triumphavit ignorantiam, correxit errores Discipulorum Orientalium, in Schola Æternæ Veritatis falsa sentientium, Doctor Seraphicus. Ad quid jam ultra solidiora quærere argumenta, ad confirmandum BONAVENTVRÆ *Magni Ducis* titulum? hæc unica laurea, quâ in campo isto Militantem coronavit Ecclesiam, stat pro omnibus. Verus *Dux*, quia principaliter hic pro fide pugnavit. Verè *Magnus*, ubi maximos etiam vicit Adversarios. Et cùm jam nullus superesset hostis, qui pacem turbaret Ecclesiæ, in domum æternitatis contulit se ad quietem. Quia benè Ducalem clavam gessit *in Militanti Ecclesia*, à *Triumphante* evocatus ad coronam. In ipso loco suæ victoriæ,

(Lugdunensi nempe arena,) vitam concludit; ut notum sit Orbi, quòd huic Illius Triumpho, nulla par laurea sit in terris, proinde in Cœlo quærenda. Decebat *Ducem* Invictissimum ad ejusmodi Capitolium non aliter progredi, nisi per stratam laureis viam. In Campo sui prælij invictum exspirans animum, monstravit se esse *Ducem* in vita, & ipsâ morte.

Vt quid ergo diceris *Minorum Ordo*, Seraphice *Francisci Cœtus?* si tam Magnos Viros Domi Tuæ habeas. Vel ex hoc Vnico *Magno Duce*, Maxima Religio appellari potes. Si aliorum subtilium elevata ingenia Caput Tuum non attollerent, ex solius BONAVENTVRÆ erudito vertice appareres satis alta, summè eminens alijs. Desponsaret Tibi Doctorali suo Annulo, famam in Orbe immortalem. Triumphares ubiq; ejus laureâ; pro meritis, inæstimabilis gloriæ præmia possideres. Verũ, habes insuper mille alia decora, ad Tui Ornamentum. *Summi Pontifices*, primam faciunt Majestatem. Rota Eminentissimorum Tuorum *Cardinalium*, perẽnis gloriæ volvit sphæram. Arhi-Præsuleæ, Episcopales innumeræ Mitræ, Principe titulo Familiam Tuam exornant. Invicti pro Deo Bellatores, heroicam mentem, magnum animum in Tuis Viris efferunt. Et sexcenti alij Magni Viri, majora dicunt de Vestro Nomine *Religiosissimi Patres*, quàm Ipsi de Vobis. Factis proinde magnis, par Nomen respondeat. Ego Magnitudinem Vestram, cum *Magno Duce*, minimus adoro Orator. DIXI.





